

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3951

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

787

C O D I C E S

788

Mellic. p. 294. lapis sepulchralis diem mortis adsignat festum *Matthaei Apost.* Epistola vero nostra *XI. Kal. Septembr.* lapsu Scribae pro *Octobr.* Data est in Festo Sancti Archangeli Michaelis Anno Domini MCCCCX.

CCCLVIII.

R. 19 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 106. f. per 2. columnas fat bene scriptus, et rubricis distinctus, olim *Congregationis*, ut praenotatur, *Sanctae Justinae deputatus monasterio Sancti Seueri-*

ni neapoli, et assignatus ibi foresterie, sive Parti Aedium, qua Hospites recipiebantur, completitur: I. Sermones LVI. ex iis, quos Impositores quidam, et deinceps ignorantes Homines ad Fratres in Eremito inscriptos Augustino tribuerunt, Mauriani vero in Append. T. VI. col. 305. rejecerunt, quorum lege sis Admonitionem praeviam. Rubrica Serm. I. est: Sermo sancti Augustini episcopi de uita Solitaria heremitica et Contemplativa. En Seriem Codicis cum Editis collatum:

Codex.	Editio.	Cod.	Edit.	Cod.	Edit.
1.	39.	21.	2.	41.	26.
2.	40.	22.	24.	42.	44.
3.	34.	23.	25.	43.	14.
4.	36.	24.	—	44.	15.
5.	—	25.	10.	45.	16.
6.	—	26.	29.	46.	17.
7.	—	27.	32.	47.	18.
8.	37.	28.	33.	48.	21.
9.	41.	29.	22.	49.	—
10.	42.	30.	3.	50.	23.
11.	38.	31.	4.	51.	19.
12.	31.	32.	6.	52.	20.
13.	30.	33.	7.	53.	28.
14.	27.	34.	8.	54.	46.
15.	55.	35.	9.	55.	47.
16.	48.	36.	11.	56.	22.
17.	—	37.	12.	—	—
18.	—	38.	13.	—	—
19.	—	39.	43.	—	—
20.	35.	40.	5.	—	—

Vides VIII. Sermones e nostris in Editione desiderari, et quidem sequentes: *Fol. 10. De moribus clericorum et eorum vita.* Init: *No-*

lite putare Fratres, quod alienum vobis sumpserim exordium &c. Varia de Horis psallendi et Confessionibus audiendis. M. Magdalena

lena Apostola Apostolorum dicitur, citatque Pseudaugustinus iste e sua ad Macedonium Epistola, quae est T. II. edit. Maur. CLIII. col. 532. dictum illud: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Fol. 12. p. 2. *De prelati bonis et malis, et quomodo ecclesia est, et dicitur nauicula.* Init: *Fratres karissimi tria refugia dominum saluatorem habuisse testamur, Montem uidelicet desertum uel nauim. &c.* Ecclesia hic alma mater vocatur. Fol. 13. p. 2. *De pastoribus et prelati, et conditionibus eorum.* Init: *Decet pastores fratres carissimi et dilectissimi oues pascere manutenere bonos &c.* Inter alia: *Non vos teneat magorum timor uel pauitas.* Fol. 31. *De Morte.* Init: *Fratres carissimi si de vite huius naufragio &c.* Absurde: *Hec — philosophi nostri cartaginenses non ignorauerunt, quando in ortu puerorum lugebant, sed moriendo gaudebant, et epulabantur quotidie splendide.* Fol. eod. p. 2. *Item de morte et de pia consolatione remanentium.* Init: *Fratres quis est homo, qui non videat mortem &c.* Scatet ineptis fabulis de Eber, Nera, Assur, Nachor, Phoreno, Gathonicle &c. et tamen Hipponem intrusit Veterator. Fol. 33. *De sacerdotibus.* Init: *Sacerdotes dei dilectissimi tria sunt genera hominum, que odit deus, remanentem aberrantem et retrodeuntem.* Novit ergo Impostor Sermonem Augustini in Natali Quadrati martyris, quem inter XXV. *auentoras* nuper edidimus, in eo enim haec ipsa verba legun-

tur. Fol. 38. p. 2. *De predestinatione.* Init: *De predestinatione dei dicturi sumus. Anxietatibus quibusdam involuimur &c.* Disputatio haec ignoti Autoris a Maurianis T. X. Append. col. 59. exhibita est. Fol. 69. p. 2. *De penitentia.* Init: *Penitete penitentes, et non eritis deridentes &c.* Est Sermo Augustino a Maurianis restitutus T. V. n. CCCXCIII. col. 1506. fed hic valde deformatus. Ex VIII. igitur hic recensitis Sermonibus restaret Autor VI. priorum quaerendus, siquidem foret operae pretium, sed merito ejusmodi Falsarii se ipsos tenebris damnauere.

II. fol. 80. *De obitu Sancti Augustini.* Scribe: *Hieronymi;* est enim commentitia illa Relatio Eusebii ad Damasum et Theodosium, quam sub ipsa Typographiae exordia non semel impressam Vallarsius in T. XI. Opp. Hieronimi ad col. 288. rejecit. Subdita est illi in Codice miniata haec clausula: *Hic liber est nostri Caesaris de gaieta de calabria, diuina prouidentia Episcopi militen. Expletus de Anno domini M^o CCCCLX quinto inditione XIII. die Jouis XXV. mensis aprilis in placentia. uidelicet in domibus sancti Vincentij hora XXI. uel circha ad laudem — beati ue Nicolai protectoris nostri &c.* Caesar hic prius Abbas S. Stephani de Cornu Dioec. Laudensis Ord. Cisterc. obtinuerat Ecclesiam Miletensem in ulteriore Calabria sub invocatione D. Nicolai anno praecedente, eamque 7. circiter annos tenuit, Ferdinando I. a consiliis.

III. fol. 105. alia manu Codicem terminat Epistola illa de Cura Rei familiaris ad Raymundum militem, dominum Castris S. Ambrosii, olim tributa Bernardo Claravallensi, sed revera Bernardi cujusdam Silvestris, et cum in Codd. tum in antiquioribus prioris Editionibus obvia. De Autore adi Oudinum T. II. col. 1005. Ad ejus calcem legitur: *In nomine domini nostri ihesu christi amen. anno domini milleximo quatuagesimo octuagesimo et octavo: Regnante Serendissimo et illustrissimo domino nostro domino Ferdinando de aragona: et Cetera: la illustrissima Signora duchessa de calabria lasso lo suo ducato et mori sepulta In nuntiata de napole.* Fuit haec Hippolyta Franc. Sfortiae Mediol. filia, conjux Alphonsi II. Ducis Calabriae.

CCCLIX.

R. 3070 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 108. f. per duas columnas praeclare scriptus, rubricis distinctus, et olim Bibliothecae Montis Pomerii, seu Pomarii Ord. Cist. bonae frugis admodum feracis sequentia censet: I. *Incipit liber Sancti Augustini episcopi de diffinitionibus ecclesiasticorum dogmatum. Qualiter in deum creditur.* Initium: *Credimus unum Deum esse patrem & filium & spiritum sanctum. Patrem eo quod habeat filium &c.* Refertur majore jure ad Gennadium Massil. ut jam alias dixi, et extat remissus in Ap-

pend. T. VIII. edit. Maur. col. 75. ubi Textus nostro correctior.

II. fol. 6. praemisso Loco *Re tractat.* sequitur *Tractatus S. augustini. De doctrina christiana.* Libris IV. constans, ut T. III. P. 1. edit. cit. col. 1. hoc initio: *Sunt precepta quedam tractandarum scripturarum &c.* Neque hic Textus ad perfectionem Editorum adurgit.

III. fol. 59. praevisio Capitulari XXXII. Capp. *Incipit prologus Eusebii Hieronimi presbiteri in Marcum Euangelistam.* Ita: *Omnis Scriba doctus in regno celorum similis est Homini patrifamilias &c.* Ipse Commentarius ita infit: *Initium euangelii — kata marcum euangelium per quod uenit redemptio et beatitudo sanctorum &c.* et ad meliora Exempla exactus legitur T. XI. edit. Vallars. subposita S. Doctori Scripta continente col. 783. ubi non habetur ad Prologi calcem, quod Librarius noster adfuit: *Hunc libellum breuiter comprehensum qui imitando perscrutauerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo et imitare assidue.*

IV. fol. 77. p. 2. *Incipit Breuiarium Beati Hieronimi Presbiteri Super Quatuor Euangelistas.* Apud Martianaum Maur. qui illud e Codice Gemeticensi descriptum dedit, insignitur: *Expositio quatuor Evangeliorum de breui Proverbio edita Hieronymi Presbyteri.* Adgnovit voſeicav Martianaus; Textum vero ita depravatam exhibuit, ut paene nullum exhibuisse videri queat. Hoc queritur Val-